



Die  
ss

not

#

PROLVSIO  
DE  
**NATVRALI THEOLOGIA**  
**M. TVLLII CICERONIS**

SECTIO II  
**DE CONCEPTIBVS DEI SECUNDIS**

---

QVA  
**LABORES SCHOLASTICOS AVSPICATVR**

ET  
AD BENEVOLE AVDIENDVM  
**ORATIVNCVLAS III**  
A. D. XIII APRIL. HOR. X IN SCHOLA SENATORIA  
HABENDAS

**PATRONOS ET FAVTORES**

HUMANISSIME INVITAT

**M. CONRADVS NAHMACHE**  
RECTOR SCHOLAE OPPIDANAЕ HELMSTADIENSIS ET  
COENOBII MARIAEVALL. SUBPRIOR

---

HELMSTADII  
STANNO DRIMBORNIANO

SCOLARIA

DE

NATURALIA THEOLOGIA  
M. TATII CICEROI

SECTIONE II

DE COMPARATIONE ET SCIENCE

ET

IVOLLES SCHOLASTICOS AVTHORITATI

ET

EXPOSITIO ACADEMICA

III. CONVERSATIONES

AUTORE X. IN SECONDA EDITIONE  
AD ALIUM LIBERUM

DATA ROMA ET LATVORIE

IN ANNO MDCCLXVII

RECONSIDERATIONE  
CONVERSATIONES  
EXPOSITIO ACADEMICA  
COMPARATIONIS SCIENTIA

HEMISTIDI

OMNIA INGENIOSA OMNIA TALE

# DE NATVRALI THEOLOGIA

M. TVLLII CICERONIS

## SECTIO II

### DE CONCEPTIBVS DEI SECUNDIS

#### CAPVT I

### DE CONCEPTIBVS DEI SECUNDIS

GENERATIM SPECTATIS

#### I

**I**n Deo nihil est, cuius aliunde petenda ratiō fit. *Nul-*  
*li* igitur *est naturae subiectus aut obediens Deus*, (a)  
et a re nulla dependet. In antecedentibus **CICERO**  
omnem adhibet operam, vt **EPICVRVM**, qui Deum  
nihil agentem induxerat, redargueret, contra ea autem Dei  
prouidentiam aduersus ipsius insultus muniret. Duo autem  
potissimum sunt, quae ei **CICERO** obuertit argumenta.  
Aliud est, quod, praestantius aliquid Deo esse, ni ipse  
terrarum administret orbem, sumat. Ait autem: *deorum*  
*consilio mundus administratur*. *Quod si aliter est, ali-*  
*quid profecto sit necesse est melius, maiori vi praeditum,*  
*quam deos, quale id cunque est, siue inanima natura, siue*  
*necessitas vi magna incitata, haec pulcherrima opera effici-*  
*ens, (b) quae videmus*. Alterum est quod colligit, Deum  
praepotentem esse excellentemque, si quidem subiectus

A 2

cui-

(a) *De Nat. Deor. Lib. II, cap. 30* (b) *Ibid.*

### III

cuidam rei sit, non posse. Neque etiam, si ita se res habeat, quemadmodum EPICVRVS autem abutinabat, nostrum Deum fore Deum, sed postius alterum illud, cui obediens esse Deus singitur, Deum esse dicendum, excipit. Non est igitur, inquit, natura deorum praepotens atque excellens, siquidem ea subiecta est vel necessitatibus vel naturae, quae caelum, maria, terraeque regantur. (c) At vero quum praefatius Deo nihil sit; regit quoque omnem terram, pendet vero proflus a nemine. Vides adeo, CICERONEM, Deum nulli rei subiectum esse et obedientem, euincere, quoniam auctor rerum, quae eveniunt in mundo, sit, ipsius usque mundi. Ergo Deum independentem esse, siue iustum causam cur existat Deus, ipso in Deo reperiri, CICERO extra omnem dubitationem ponit

### II

QVID QVID ortum nunquam, nec natum est, semperque fuit, (d) id a se ipso esse dicitur. A se ergo Deus est

### III

DEVS esse non potest non. natura enim (ita CICERO ait,) aeternus est. Dixerat autem BALBUS in antecedentibus ex mente HERACLITI, omnem esse ignem aeternum, ipsumque Deum. Excipit CICERO, aeternum ignem esse non posse, pastus quoniam indiget: in Deum vero non interire posse proflus non cadere (e)

### III

QVI ita est, ut nec ante eum fuerit quisquam, nec post  
c) Ibid. d) Ibid. (e) De Nat. Deor. Lib. III. cap. 14

post eum etiam futurus sit, *sempernus* est. Deus autem natius, et quem *mortalitas consequatur*, (f) esse plane non potest. Sempernus ergo est, siue *aeternus*: primus pariter atque ultimus: et infinitus etiam. Sed vocabulo *infiniti*, quod hic usurpari a recentioribus solet, aliam longe subiicit **CICERO** vim, quam quae hoc transferri possit (g)

**OMNIS** vero mutationis, qui cuncta composuit Deus, expers, *constanter suo in statu manet*, (h) idque vi naturae, qua esse eum necesse est. Nemo autem alienum ab eo esse putet, quum apud **CICERONEM** crebrius, ubi de aeterno agitur, *motus* (i) cuiusdam factam esse mentionem reperiatur. Subinde enim ipsa vita illa loquitione invenitur. Ceterum ex hoc pariter loco **CICERONIS**, successionem in Deo nullam esse, liquet

**OMNE** Deo inest perfectionis genus. Nam quidquid eius rei mentem nostram subire potest, id omne iunctum ac sine ullo modio habet. Docet id **CICERO** hunc in modum, ut de quacunque re Deo tribuenda dicat seorsim. Sed hoc quoque **CICERONIS** dictum, quo *praefantissimum* (k) Deum esse affirmat, referendum esse videtur: eo enim principii instar usus est. Procul dubio eo indicat, *praefantissimum* quidque et *perfectissimum* in Deo esse, quod

(f) *De Nat. Deor. Lib. I, cap. 10.* et n

vel sexcenties *motus*, *motus a*

(g) *De Nat. Deor. Lib. I, cap. 17*

*se*, legitur. *Tusc. Quæst. Lib. I,*

(h) *Timaei Fragment. cap XIII*

*cap. 23.* item *sempernus motus*

(i) *Vt in PLATONIS verbis, a*

*mentio fit Consolat. Opp. T. IV.*

**CICERONE** excitatis, quibus

*p. 322*

*album dein adiicit calculum,*

(k) *De Nat. Deor. Lib. I, cap. 5º*

## VI

quidem esse vna potest ; nam hoc subaudiendum est.  
Quidquid igitur repugnat, id sane fieri, (l) Deoque tribui  
nunquam poterit. Porro si praestantius Deo nihil est :  
cancellis perfectio eius inclusa non est. Immo vero ne pot-  
est quidem, quum praestantiae suae parem habeat nemini-  
nem. Itaque Dei perfectiones limitibus nullis sunt cir-  
cumseptae

## VII

IN Deo concreti aliquid non est. CICERO his in ver-  
bis de eo arguendo agit : *mens soluta quaedam Deus est,*  
*in qua nihil mixtum aut concretum.* (m) Hoc autem a  
mentis humanae natura ac indole, per viam eminentiae,  
quam ita vocant, CICERO colligit

## VIII

INDE ulterius probatur, corruptioni subiectum Deum  
non esse, neque adeo posse interire, quod nec *concretus*  
nec *mutabilis* est. Itaque nec in partes Deus distrahi ac  
dissolui, (n) aut redigi plane in nihilum, poterit. Cete-  
rum CICERO Deum non ipsum modo *immortalem* esse,  
*sed posse etiam quos velit, plane immortales reddere,* de-  
monstrat (o)

## VIII

IN figura humana Deum esse, affirmandum non est.  
Qui enim in eam inciderunt sententiam philosophi, *praescripto naturae*, vt pulchrius nihil quam hominem putarent,  
decepi esse CICERONI videntur. At vero, qui adeo po-  
pularem auram amas, vt huic subscribas sententiae ecquid  
putas?

(l) *De Nat. Deor. Lib. I, Cap. II*      conf. *de Nat. Deor. L.II, c. 12*

(m) *Consol. Op. T. IV, p. 322*      (o) *Consol. Op. T. IV. p. 322*

(n) *De Nat. Deor. Lib. I, cap. XII*

putas? Si in beluis ratio esset, numinam et ipsi suo quaque generi plurimum tributuras fuisse? (p) Hiulca itaque et arida EPICVRI obiectatio est, qui postquam a beatis ad virtutem, a virtute ad rationem venisset gradibus, a ratione ad humanam figuram non iam descendit, sed praeceps, dum sumit: rationem non posse usquam inesse, nisi in humana figura: indeque eo accedit ut hominis specie Deos esse afferat. Emollit quidem deinceps hanc complexionem in hunc modum, ut speciem non corpus, sed quasi corpus: nec habere eam sanguinem sed quasi sanguinem, (q) Deumque monogrammum (r) esse, dicat. Enimvero licet id primo obtutu aliquam veritatis speciem prae se ferat; tamen quum expositio nullo modo fibi constet, possitque probari, (s) sua EPICVRVS causa excidit. CICERO autem nimis longus in eo refutando est, multis enim verbis vltro citroque habitis ostendit, si Deus membris humanis praeditus sit, etiam aliquid sine causa et omnino superuacaneum fore: nam vti eis non posse. Qui enim, Deum marem esse, accumbere, se inclinare, cetera, dici potest? (t) Ista autem EPICVRI verba: Deo quasi corpus et quasi sanguinem esse, CICERO hunc in modum interpretatur: corpus illud non est, sed simile corpo-

(p) *De Nat. Deor. Lib. I, cap. 27*

(q) *De Nat. Deor. Lib. I, cap. 18*

(r) *De Nat. Deor. Lib. II, cap. 23*

Monogrammum autem appellant pictores id, quod foliis lineis informatum ac descriptum est, nullis adhuc coloribus adhibitis. Hinc homines monogrammi per translationem, (vt NONIO videtur,) homines maeie pertenuens, et

quasi decolores dicti sunt. Vid.

LAMBINVS ad hunc locum

(s) Idem CICERO ei obiicit, et VELLEIVM quoque, EPICVRI interpretem, vitii in componendo argumento admissi, postulat, *de Nat. Deor. Lib. I, cap. 32 et 35*

(t) *De Nat. Deor. Lib. I, cap. 33 et 34 per totum*

## VIII

corpori : nec ille fusus et candore mixtus rubor , sanguis est , sed quaedam sanguinis similitudo : sic autem in EPI- CVRI Deo , non res , sed similitudines rerum erunt . (v) Aut itaque vietas CICERONI dare manus debet , aut concedere , Deum reapse nullum esse . Quibus autem aliis rationibus EPICVRVS suo asserto fucum inducere quen- dam ausus est , vt : esse ita anticipatum mentibus nostris : vt homini , quum de Deo cogitet , forma occurrat humana , (w) cetera , leuia per se sunt , tum vero etiam falsa

## X

DEVM , praeterquam vnum , non esse , vtrum hic ex- ponerem , quum ipse CICERO deorum fuerit cultor , ha- reatque graui in errore ; an siccō prorsus pede praeterirem , diu multumque dubitau . Denuo autem quum suppetant in eius libris quaedam argumenta , vnde vnum esse Deum deduci commode ac demonstrari queat , ista pauca sal- tem hoc transferre , confitui mecum apud animum . Ea autem ita habe : Principii nulla origo est , nam e principio oriuntur omnia : ipsum autem nulla ex re alia nasci pot- est . (x) Sumas itaque duo esse Numinia , iam vnum ab alio ortum esset ac dependens . quod autem repugnat . (de qua re supra a me dictum est,) Vnum itaque Deum esse re- linquitur . Porro vnu Deus altero perfectior , si plures fo- rent , esse non posset . nam praefantius Deo nihil est . Ex- cipi forsitan poterat , Deum vnum praefantem esse posse vt nihil supra , itemque alterum , ita vt nulla plane in re dif- ferant . Sed obstat principium indiscernibilium . Fieri enim

(v) *De Nat. Deor. Lib. I, cap. 27*

(w) *De Nat. Deor. Lib. I, cap. 27*

(x) *Lege haec PLATONIS ver-*

ba , quae sua CICERO fecit

*Tusc. Quaest. Lib. I, cap. 23*

enim non potest, plura eadem esse et perfecte similia. (y)  
 Deinde etiam CICERO Deum summum distinguit, a dependentibus et ficalneis diis, vnum enim Deum omnia genuisse (z) dicit

QVID QVID itaque deastricola, de deorum multitudine, commenti sunt, aut quo demum cunque alio nomine vno plures dii introducuntur : id omne tamquam erronea opinio, reiiciendum est. Immo, ipse etiam CICERO, quod mirum videri poterat, istud improbat, licet parum id constanter faciat. Ita autem ea de re fatur : si dii sunt illi quos colimus, et accepimus : cur non, eodem in genere Serapim (aa) Isimque (bb) numeremus ? quod si facimus, cur barbarorum repudiemus deos ? (cc) aut cur non omnes omnino res inanimes pariter ac animantes, in deorum numerum cooptemus. Ergo hoc aut in immensum serpent, aut nihil horum recipiemus, nec illa infinita ratio superstitionis probabitur. nihil igitur horum probandum est. (dd) Quae igitur esse ratio potest, quare plures adiungimus deos, nulla sane : aut quem tam amentem esse putas, qui istud quo vescatur, (Cererem et Liberum,) Deum credit esse ? aut si quos ab hominibus, peruenisse ad deos dicis, tu redde rationem quemadmodum id fieri potuerit ? (ee) Itaque confitendum est, qui dii, praeter vnum illum summum Deum, appellantur, rerum naturas esse, non ipsos deos (ff)

(y) Acad. Quaeft. Lib. IX, cap. 17

regis filia, vnde illis Inachida-

(z) Fragment. Timaei, cap. XI

rum nomen haeret

(aa) Serapis Aegyptiorum prope

(cc) De Nat. Deor. Lib. III, cap. 19

Nilum habitantium idolum,

(dd) De Nat. Deor. Lib. III, c. 20

forma serpentis

in fine

(bb) Isis, alias Io, dea Aegyptio-

(ee) De Nat. Deor. Lib. III, cap. 16

rum Inachi primi Achiuorum,

(ff) De Nat. Deor. Lib. III, cap. 24

AFFECTIONES autem siue euentā, (modos vocant,) in Deo non sunt: qua in re CICERONEM habeo consentientem, ait enim: *constantem suo in statu Deum manere.* (gg) atque exinde consequitur Deum ab omni mutatione ita immunem esse, vt nec decreta diuina aliquam in Deo mutationem adferant. Age videamus autem quoddam eius rei, quo sibi certius constet, exemplum. *Quae ramus caussam,* ait CICERO, *quae eum impulerit, qui haec machinatus est,* vt originem rerum et molitionem nouam quaereret. (hh) Suberat itaque quaedam decreti huius de mundo condendo caussa eiusmodi, quae abesse non poterat, nempe *probitas.* (ii) Itaque non poterat non hanc molitionem decernere Deus; nec etiam posita hac caussa ab eo, quod secum constituerat, vñquam poterat discedere: quamquam si hanc caussam mente et cogitatione aufferas, iam non repugnet, Deum id non decreuisse. Vides adeo decreta ista, tum aeterna esse, quia eorum ratio subinde adfit; tum omni successione et mutatione carere. ergo affectiones quae adesse mox et abesse etiam possunt, a Deo alienae sunt. Ceterum CICERO nullibi data opera ea de re differuit, vtrum vero non penitus hanc rem persperixerit; an dissimulauerit potius, quum nemo esset qui contra diceret, de eo nihil certi habeo quod scribam

SUBSTANTIAM inuisibilem Deum esse, recen-  
tioris aetatis philosophi docent. Verba euidem ista ignota

CICE-

(gg) *Fragment. Timaei, cap. 13* (ii) *ibid.*  
(hh) *ibid.*

CICERONI sunt, at res non item. Est enim, qui apud CICERONEM Deum non posse oculis cerni, adeoque non sensu, sed cogitatione tantum percipi: et item nullam in eo soliditatem esse, quae refleXtere radios oculorum emissios possit, demonstrat. Quodsi autem eius quaedam visio obtingeret, similitudine et transitione quadam id fieri debere, (kk) non praeter rem opinatur

## XIII

DEVS quoque gaudet vi cuncta efficiendi. id enim ex mundi opificio videre est. CICERO pariter eamdem Deo tribuit, plenum namque negotii eum dicit, sumto praeципue a prouidentia Dei argumento. (ll) Qua in re quam EPICVRV affecas haberet pedibus manibusque reluatantes, id ipsum copiose de eo dicendi ansam, CICERONI praebuit. Hi enim Deum nihil agentem (mm) commenti sunt, quum in eo beatitatem sitam esse fibi persuasissent. Reuicit autem id omne TVLLIVS, et inter alia commemorat, hanc Dei vim et efficaciam, non in quacunque re agenda, vt EPICVRV autumabat; sed in actione diuina (nn) siue Deo digna sese exerere. Praeter haec alio loco ex ipsa Dei notione, agendi eius vim deducit: qui deos, inquit, esse concedunt, iis farendum est eos aliquid agere (oo)

## XIV

INDE pariter vita Deum praeditum esse sempiterna perspicitur, quare CICERO, sublata Dei actione, nullam B 2 eius

(kk) *De Nat. Deor. Lib. I. cap. 37* (nn) *De Nat. Deor. Lib. I. cap. 37*

(ll) *De Nat. Deor. Lib. I. cap. 20* (oo) *De Nat. Deor. Lib. II. cap. 30*

(mm) *De Nat. Deor. Lib. I. cap. 23*

## XII

eius quoque vitae actionem (pp) fore, statim subiicit. Haec autem verba si in aientem mutaueris enuntiationem, inde recta vitae finitio emerget, esse nimurum eam in perpetuo actu (actuositatem vocant) positam. Aeternam autem hanc Dei vitam esse ita docet: *Dei proprium est frui vita sempiterna* (qq)

## CAPVT II

## DE DEI INTELLECTV

## I

**INTELLECTV** praeditum Deum esse, multis modis **CICERO** probat. Eminet inter alia hoc argumentum, quod consequitur: *si in nobis est ratio; neceſſe est Deum hac ipsa habere maiorem: unde enim haec nisi a superis ad nos peruenire potuit?* Praeter haec intellectum diuinae menti maxime conuenientem esse, declarat, *ignorationem contra rerum, alienam deorum natura esse, eique aduerſari.* Itaque intellectum Deum habere in aprico est: *sed habet non modo, (ita CICERO colligit,) sed etiam eodem in optimis rebus.* (rr) Intelligit non modo quaevis quae percipi mente possunt, (hoc enim sibi istis verbis vult,) sed perspecta quoque aut reiicit, aut cupit, efficitque. quare nec voluntate etiam Deus destituitur. Quidquid autem intellectu aequo ac voluntate gaudet, spiritus in philosophorum scholis audit. spiritus ergo Deus est. Inuerso autem ordine ea in demonstratione **CICERO** incedit: primo enim Deum esse spiritum probat, quoniam id Deo non

(pp) *De Nat. Deor. Lib. I, cap. 27* (rr) *De Nat. Deor. Lib. II, cap. 3<sup>2</sup>*  
 (qq) *Consolat. Op. T. IV. p. 45*

non repugnet, sed ex ipsa potius Dei notione fluat: ne-  
cessum est, inquit, cum sint dii, si modo sint, ut profecto  
sunt, animantes (spiritus) esse: (ss) et his praemissis, in-  
tellectum voluntatemque proprium quid spiritibus, Deo  
tribuendum esse demonstrat

## II

**C O G N O S C I T** autem *Deus omnia* (tt) vno actu, et  
longe etiam distinctissime; quae est caussa cur eum *praef-  
stantissimae mentis* (vv) intelligentiaeque esse, **C I C E R O**  
asseueret. Patet autem ex eo quidquid mentis quamdam  
imperfectionem indicet, sensus, phantasiam, memoriam,  
et id genus alia, neutiquam Deo posse tribui. **C I C E R O** id  
ipsum hifce verbis indicare voluisse videtur: *quid opus est  
Deo ratione? quid intelligentia? quibus virimur ad eam  
rem, ut apertis obscura asequamur?* quid imperfecto eius-  
modi ingenio, memoria hinc et inde lacunis hiante, qua-  
lis hominum est, Deo opus est! absit hoc a Deo omnem  
per modum, *obscurum enim Deo nihil esse potest.* (ww)  
Eodem quoque hic **C I C E R O N I S** locus collineat: *deorum  
animi sine oculis, sine auribus, sine lingua sentiunt, quid  
quisque sentiat: ex quo fit, ut homines, etiam cum taciti  
optent quid, aut voleant, non dubitent quin dii illud exau-  
diant.* (xx) Consummatissimus itaque Dei intellectus  
est, ab omni labe immunis, purus item et profundissimus,  
quum eum praeterire nihil omnino possit

## B 3

## III

- (ss) *De Nat. Deor. Lib. II, cap. 31* (ww) *De Nat. Deor. Lib. I, cap. 15*  
 (tt) *De Nat. Deor. Lib. I, cap. 20* (xx) *De Diuin. Lib. II, cap. 59*  
 (vv) *De Nat. Deor. Lib. II, cap. 1*

## XIV

## III

MUNDOS, praeter hunc praesentem, alios etiam esse posse, CICERONI certe ignotum non fuit: ait enim penes eum EPICVRVS: *innumerabiles mundos alios aliarum esse formarum posse.* (yy) Porro alii mundi si modo non repugnant, vt profecto non repugnant, a Deo cognoscuntur: siquidem, secundum CICERONIS assertum, *Deo nihil quidquam obscurum esse potest*

## IV

FIERI autem non potest, quin semetipsum pariter Deus cognoscatur. Apud CICERONEM ita habetur: *animum nosse, nisi diuinum esset, non esset hoc acrioris cuiusdam animi praeceptum, sic ut tributum Deo sit: hoc est,* (zz) *se ipsum posse cognoscere.* (aaa) DAVISIVS equidem vltima huius periodi verba, in mendo cubare existimat. Item PAVL. MANVTIO et D. LAMBINO haec verba glossam subolere videntur. IANVS autem GEBHARDVS, cum plurimis alis, pro genuinis ea habet. Quod si vero vel maxime ea verba rescinderentur, tamen commodus inde non modo emerget sensus, sed Deum quoque semetipsum cognoscere per ea confirmaretur, verba enim: *hoc ut tributum Deo sit, respiciunt praecedentia, nosce te, vel, ut se quisque noscat.* Illud itaque quod tribuitur Deo, in eo consistit, vt se ipsum cognoscatur, hominumque animos

Atque ea quidem hac vice sufficiant: nam eadem meus animus delibutus est laetitia, quam omnes, qui hisce com-

(yy) *De Nat. Deor. Lib. II, cap. 28, conf. cap. 29*

(zz) Editio Geneu. verba: *hoc* (aaa) *Tusc. Quaest. Lib. I, cap. 22*

*est, cet. inciso minori ab antecedentibus seiungit*

commorantur in terris, iam sentiunt id est maxima. Si quidem ante aliquot dies solemnes nuptiae, inter Serenissimum Principem atque Dominum Domin. ERNESTVM AVGVSTVM CONSTANTINVM Ducem Saxoniae Vinario Isenensem, et Sereniss. Principem atque Dominam Domin. ANNAM AMALIAM Principem Brunsvic, et Luneb. celebrae, Indulgentissimo CAROLO Patri Patriae Gratosissimo, magnum gaudium attulere. Quae quidem solemnis quum pia vota pro perenni Serenissimorum Coniugum salute, in primisque pro CAROLI praetiosissima vita, postulet, nemo non intelligit, etiam muneris mei mihi demandati rationem exigere, nostra scholae alumnos, ut ob has nuptias Dei O. M. concelebrent nomen, cohortandi. Ergo annuat sanctus atque immortalis Deus omnium, et alumnorum etiam huius scholae, votis! Idemque ut, praeter has nuptias, alia innumera bona harum terrarum Sospitatori eueniant, faxit, secundetque quaevis tanti Principis coepita. Itaque quoad Clementissimus Dux noster CAROLVS, et Serenissimus Princeps Heres, viuum magni Patris simulacrum, rebus humanis interest, nec praefidium nec dulce decus studiis humanitatis; nec malo, e longinquo prouide detecto, qui obuiam eat, deerit

Patres etiam huius Civitatis, qui permultum consiliis valent, ut et ipsi Deo curae sint ex animo precor. Praecipue Illustris Consul Primarius, qui de schola nostra immortaliter est promeritus, ut publicae utilitati quam longissime a Deo concedatur, opto. Sub illius enim praefidio, dubium non est, quin efflorescat haec schola magis magisque, ipsaque res scholastica promoueatur. Seruet idem, a quo uno omne proficiuntur bonum, Deus, reliquos etiam Amplissimos Consules bonarumque literarum

pro-

XVI

promotores in Ordine Senatorio, vna cum spectatissimis eorum familiis. Ego sane maximo mihi honori ducam, si omni ex parte ita me in officio componere potero, quemadmodum ipsis omnibus e re esse videbitur: praeципue quod hos scholae Patronos quam obseruantissime colam et obseruem

Quum autem tempus, Examini consueto destinatum iam iam infestet, eodem absoluto quosdam iuuenes nostros iussimus periculum in dicendo facere. Itaque insurget primo loco

IO. RYDOLPH. ALBERTI, inque locum HOMERI hunc: Δεῦρ  
ἄγ' ἵὸν πολύναν' ὁδυστεῖν, μέγα τῦδος αὔχειν. (bbb) Huc  
ad fis Vlysses aduena, a multis laudatus, grande de-  
cūs Argolicum! de eo quod nimium est in laudis cu-  
piditate, commentabitur

Excipiet hunc IO. AVGUSTIN. LUDOVIC. ALBERTI, et  
quaestione, num terrae motus aliquid portendat  
nec ne, ad illustrandum locum VIRGILII Georg. Lib.  
I. vs. 469. linqua Theotisca, ventilabit

Tandem LUDOVIC. FRIDERIC. GRELV MAN, nostram  
interpungendi rationem, ei, quae apud priscos obtinuit,  
praeferendam esse, evincet

Quibus declamationibus, D. XIII hora X habendis, vt  
scholae nostrae ac bonarum literarum PATRONI FAVTO-  
RESCUE benevolentissime interesse, et honoratissima prae-  
fentia tironibus animum addere, eosque ad altius eniten-  
dum incitare velint, officiose atque obseruanter rogamus.  
Scrib. Helmstadii, A. D. IV April. An. cclvi

(bbb) Odyss. Lib. XII, p. m. 348

DD A 6427

ULB Halle  
002 927 292

3




WDA8

R



Farbkarte #13



PROLVSIO

DE

VRALI THEOLOGIA  
I. TVLLII CICERONIS

SECTIO II  
NCEPTIBVS DEI SECUNDIS

QVA  
ES SCHOLASTICOS AVSPICATVR  
ET  
AD BENEVOLE AVDIENDVM  
ATIVNCVLAS III  
I APRIL. HOR. X IN SCHOLA SENATORIA  
HABENDAS

RONOS ET FAVTORES  
HVMANISSIME INVITAT  
ONRADVS NAHMMACHER  
SCHOLAE OPPIDANAЕ HELMSTADIENSIS ET  
COENOBII MARIAEVALL. SVPRIOR

HELMSTADII  
TANNO DRIMBORNIANO